

I. N. 7.

22

DISSERTATIO POLITICA  
DE

**PERSONATA  
FELICITATE  
CIVILI,**

Cujus PARTEM POSTERIOREM

*Consensu Amplissimi SENATUS Philosophici in Regia  
ad Auram Academia,*

PRÆSIDE

**MAG. JOHANNE  
BILMARK,**

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

*Pro obtainendis Honoribus Philosophicis,*

*Publico examini modeste submittit*

**ABRAHAMUS MJÖDH,**

AUSTRO-FINLANDUS,

IN AUDITORIO MAJORI DIE MAJI ANNI MDCCCLXIX,

*Horis ante meridiem solitis.*

---

ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



## §. XI.

**P**ersonatæ felicitati civili annumerant nonnulli *Luxum*, quem alii rursus ad indicia verae felicitatis publicæ referunt; quæ opinionum discrepantia tum ex diversa luxus notione, tum etjam ex dissimili ejusdem genesi provenire videtur. Si enim per *Luxum* intelligamus commodiorem vitam sustentandi rationem, quam qua gavisi sunt Majores, tenui sua sorte, etiam quam meliorem reddere, nisi utilibus artibus operam impendere a dignitate sua alienum putascent, potuissent, contenti, si porro nitidiori vitæ generi tam in victu & amictu, quam in ædificiis studentes, stipem quandam industriis præbeamus civibus, nec tamen bona nostra inciderate dilapidemus, quin talis luxus, opulentia quippe & industria argumentum, ad fulcra civitatis sit referendus, negaturum speramus omnino neminem. Quis enim ferret homines socialitatis, quæ vitæ nostræ condimentum est, adeo oblitos, ut nihil spirent nisi crumenas suas novis opum cumulis continuo distentas, quas ut consequantur, & genium suum misere defraudent, & alios egregios ac proficuos cives vel squalore interire vel ad exterias nationes fese catervatim recipere, siccis vident oculis; ignorantes plane, quantam Patria jacturam successu temporis ita faciat. Hunc igitur luxum non alios fore damnaturos speramus, quam qui dolium Diogenis sese commode habitaturos credunt, ideoque sibi aliisque persuadent, quod cum mortalium genere optime ageretur, si, ejuratis omnibus deliciis, ad Majorum glandes, fontes & horridas speluncas sensim revertamur. Quamvis vero parsimoniae larva, quam hiscioli jugiter prætendunt, nobis imponi non patiamur;

non

non tamen propterea quemvis luxum probamus, sed illum, qui partim in minus ordinato rerum creatarum usu consistit, partim ex opibus aut vita elegantioris administriculis, ab exteris nationibus ad nos allatis, quasi nutritur, ad personatam merito referimus felicitatem. Dum enim cives dies noctesque bibunt, græcantur, adjungunt amicos, pascunt parasitos, obsonant pollucibiliter, effarciunt se, sumunt, consumunt, edunt atque eduntur, perdunt, quæ sunt, quæ non sunt, omnia; non possunt non turpissimis quibusvis vitiis patentissimas aperire januas, patrimonium & opes magna cura & industria tam a Majoribus relictas, quam a se ipsis pridem collectas temere dilapidare, & corporis animique vires admodum enervare. Laborat certe fides annalium & fabulas nobis narrare videtur, referendo tot auri talenta uno fere momento dissipata, quot multa saecula conquisiverunt. Non nunc patitur instituti ratio, ut succinte exploramus vel veterum populorum luxum, forte magis sumtuosum, quam exquisitum, aut quomodo suum exitium acceleraverint, quum huic impense litare inceperint. Quis quæso ignorat, quam exactam observaverint disciplinam aut quum fortes fuerint Spartani, dum offa nigra alioque parabili victu contenti, jura darent populis & in præliais adeo fulminarent, ut ipsorum in acie adspectum, neandum impetum, aliae vix sustinuerint gentes. At, introductis sensim Asiaticis deliciis, a pristina virtute ita desceiverunt, ut qui imperare antea conservaverant, se sua que amplius defendere non potuerint, sed duræ servituti rigida subdere colla fuerint coacti. Pari modo Romana virtus, quæ tot gentium externalium impetus fortiter sustinuit, immo in Auctorum suorum capita valide impulit, quum domos in arcium modum exstructas, a privatis subversos montes, contracta maria, Campa-

niæ voluptates, Bajis acta convivia, amores, stupra, vitiorum denique omnium impunitatem vidisset, obtorpuit tandem, tristissimoque euanuit spectaculo. Immo quæ orbis Dominam se gloriabatur, haud ita multo post a gloria & potentia culmine ita decidit, postquam voluptates virtutes masculas in exilium pepulerant, ut gentibus, ipsam aggredientibus, nunc hanc, nunc aliam cedere provinciam coacta sit, & ad veteris Anci moenia remeaverit. Nec meliorem aut stabiliorem sortem expectent alia gentes, si luxum apud se ingravescere permittant, sed a veræ felicitatis gradu tanto erunt remotiores, quanto se propiores credunt, auro ac œstro dormientes. Esto, quod bella nostro ævo minus sint frequentia, adeoque minor nunc requiratur ferocia; attamen luxus, qui pabulis aliunde adsumptis nititur, est ad instar grangranæ, quæ facit, ut florentissima quæque civitas opinione citius fatiscat & corruat. Dum enim instrumenta voluptatum ab exteris care redimunt cives, horum industria admodum sufflaminatur, & quicquid agant & moliantur, miseram tamen vitam in omnium etiam rerum affluentia agunt, Danaidumque ipsos volvere dolium, qui que putaret. Consideres enim, quæso, Hispanos, qui licet auro & argento pæne circumfluant & sumtuosissimam jactent pompam, nihil tamen minus aliis magis quam sibi vivunt, adeoque solidam desiderare videntur felicitatem.

## §. XII.

Quamquam autem luxum ad personatam felicitatem civilem idoneis, ceu nobis videtur, argumentis in §. antecedente retulerimus, non tamen propterea existimandum est, quod Parsimonia publica, imprimis si eadem vel immodica vel intempestiva fuerit, veræ felicitatis nomen

omen & omen semper sustinere queat. Non equidem  
 nos fugit, quantum privata domus, at quanto magis  
 integra Respublica ad sui conservationem & florem con-  
 ferre possit, si per accurratam Oeconomiam sufficien-  
 tem rerum gerendarum nervum sibi comparaverit; qua-  
 re etjam de Carthaginensibus legimus, quod tum opes  
 per frequentia commercia partas impenderint conducen-  
 dis exterarum Nationum, ob fortitudinem in bello ma-  
 xime inclytarum, cohortibus, ut Patriam contra hostium  
 irruptiones defenderent, civesque proinde consuetis ac  
 lucrosis vacare posseant pensis, tum etjam quod ad ho-  
 norum gradus illos potissimum exexerint, qui magnas  
 possiderent divitias, rati, eosdem optimam consecutos  
 educationem & firmissimis vinculis cum Patria esse con-  
 junctos, attamen nec nimium parsimoniae studium Rei-  
 publicæ semper profuit, nec opum cumulis omnia ex-  
 sequi potuerunt Carthaginenses, siquidem constet, i-  
 psos de spe sua sepe fuisse dejectos & in præsentissimum  
 discrimen prolapsos. Quocirca tamen non negamus,  
 quod opes sint instrumenta, quibus publica felicitas ad-  
 modum promoveri possit, at si ipsæ arcis vel Principis  
 vel opulentiorum civium firmiter includantur, benefi-  
 cam suam vim protinus amittunt, quum & ipsæ situ  
 atque ærugine consumantur, & cives, quantumvis in-  
 dustrii, paupertatis molestias ægerime eluctentur. Ut au-  
 tem hæc paullo evidentius appareant, *Unitatem Physi-  
 cam* appellare liceat illam facultatum portionem, quam  
 quisque homo ad necessariam vitæ suæ sustentationem  
 desiderat: & ponamus quod in Republica quadam re-  
 periantur quatuor hominum milliones, quorum decima  
 pars ceterorum civium opera indiget, ut commiodam  
 degat vitam: ponamus autem, quod isthac opulentio-  
 rum civium cohors propter alias aliasque rationes Poli-

ticas ita imminuat annuas impensas, ut quisque eorum opes suas unitate Physica tantummodo augeat, fieri certe nequit, quin per istam parsimoniam decima civium pars necessaria vita præsidia desideret. Et quamvis demus, quod isthanc diminutionem confessim non sentiat cives, attamen post paucorum annorum decursum ad incitas redigentur & quidem præter suam culpam. Enimvero quum quisque sua conservationis sit studio-sissimus, igitur quum Patria ipsi denegat necessarium victum & amictum, quamvis ipse de sua industria ac bene merendi studio nihil remiserit, ad alias sese terras conferre cogitur, meliorem vitæ conditionem apud æquos & beneficos rerum estimatores exspectans. Quamobrem cordati Principes non tam in ea laborarunt, ut ararium vel fiscum locupletiorem redderent, quam ut industrios cives opportunis stipendiis & exhilararent & retinerent, imitati exemplum sapientissimæ illis Argliæ Reginæ ELISABETHÆ, quæ, quum populus plura dare vellet, quam ipsa petierat, respondisse fertur: *Qu' elle trouvoit ces deniers aussi bien dans la bourse de ses sujets, que dans la sienne (a).* Et ita quoque res sese habet. Est enim pecunia nervus rerum gerendarum, at si nervus hic in nimiam forte excrescat molem, convenientem civitas desiderat agilitatem, ceteris membris velut tabe confectis. Sed dicat quis pumice etiam tenacior Pseudo-Politicus, quid opus est, ut ipse meis impensis aliorum magnificentiam alam? Quid impedit, quomodo cives, deficientibus artium subsidiis, ad rastra & rura revertantur, terram excolant, atque ita si non unctas quotidie dapes, attamen parabilem victum strenuo labore sibi comparent. Atque hæc ipsa principia tam ab æquitate quam a socialitate remota ad nauseam usque nostro ævo venditari audivimus. Enimvero in theatrum

hujus

hujus mundi non ideo nos produxit Benignissimum Numen, ut nobis solis vivamus, nec ut facultates nobis concessas nostris tantum usibus impendamus, sed ut eaurundem prudentes simus administratores. Nemo quidem hoc postulabit, ut divitias nostras profundamus & aliorum inertiam nostris sumtibus promoteamus, sed quum plures dentur modi, quibus nostras augere possumus facultates, si aliorum fruamur ministerio, quin hi sint arripiendi atque artium cultura cum Patriæ splendore & civium commodo sit promovenda, nemo ingenuus dubitat. Ex quibus apparet, quod intempestiva Parsimonia, imprimis quæ post omnium rerum ubertatem subito ingravescit, maximum republicæ adferat detrimentum.

(a) Vid. *La MOTTE dans l' instruction de Monsieur le Dauphin.*

### §. XIII.

Præterea quamvis paradoxis minime faveamus opinionibus, attamen, prævia experientia, adserere non dubitamus, quod nimia, id est nullis adversitatum nebulis intermixta, felicitas etiam ad personatam referenda sit felicitatem. Hæc autem sententia non ita erit capienda, quod nimia felicitas secum trahat, tamquam appendices, varia infortunia, sed quod rebus secundis, cum lætitia & animi lubentia conjunctis, impotenter plerumque uantur mortales, adeoque varia sibi subinde permittant, quæ rationi non convenient & proinde nec felicitatem veram promovent. Scilicet homines duplici in statu vel Pacis vel belli considerari possunt. Si alma gaudent pace & continuo felicitatis successu in negotiis suis fruantur, manera quoque naturæ & industriæ quotidie

apud

apud se cumulari experiuntur, quæ quum aliis cum his  
cro divendere nequeant, ipsis non raro oneri sunt. Do-  
cet igitur experientia, quod nonnullæ gentes post lon-  
gam pacis malaciam in omni fere rerum adfluentia ad  
inopiam redigantur. Existunt quoque tunc communiter  
factiones in civitate, quæ eo gravius grassantur, quin &  
ipsa civitatis vitalia aggrediuntur, quod ab externis ho-  
stibus nihil plane metuant. Quamobrem Asiam, alte-  
ram Populi Romani pestem sine nube sine velo fatetur  
in compendio Historico FLORUS : *Quæ enim, inquit,  
res alia civiles furores peperit, quam nimia felicitas.  
Syria prima nos victa corrupti, mox Asiatica Pergamenti  
Regis hereditas. Illæ opes atque divitiae affixere sœculi  
mores, mersamque vitiis, quasi sentina, rem publicam pes-  
sum dedere (a).* Rursus si per continuam victoriarum se-  
riem ad felicitatis cacumen adscenderit populus, non-  
dum tamen ad veræ felicitatis metam pervenit. Ea e-  
nimirum est ingenii humani levitas, ut quando hostes pro-  
stratos, æmulos sublatos & tuta omnia circumcirca vi-  
deamus, licentius vivere, moderationis jura negligere  
& quibusvis cupiditatibus frena solvere plerique soleant.  
Cujus rei luculentissima exempla nobis passim submini-  
strat Historia. Verum quidem est, quod Sveci sub au-  
spiciis fortissimorum Regum CAROLI GUSTAVI &  
CAROLI XII ad summum potentiae & gloriae culmen  
adscendisse viderentur, sed quis nescit, ipsos tristi ex-  
perientia didicisse, quod nimo rerum successu toties  
ferme Europæ invidiam & odium in se concitaverint.  
Similiter Galliæ Rex LUDOVICUS XIV felicibus armis  
superiori sœculo tantum ceteris Europæ Principibus præ-  
valuit, ut a Monarchia Universali, quam adfectasse cre-  
debantur CAROLUS V hujusque filius PHILIPPUS II,  
parum abesse videretur; attamen fortunæ soli debuit,  
quod

quod per isthanc felicitatem & inde secutam imprudentiam ad incitas redactus satis haberet, si se contra ingravescentes hostium irruptiones utcunque defendere posset. Scilicet sicut in ventriculo quum se rebus omnibus saginant mortales, morbi nascuntur & putredines; ita in imperiis ex omnium rerum adfluentia mutationum ac corruptionum semina oriuntur.

(a) Vid. *Libr. Histor. Rom. III. Cap. XII.*

#### §. XIV.

Ad personatam felicitatem civilem referimus quoque affectatam independentiam ab aliarum Nationum sive imperio sive auxilio. Sustinet autem independencia modo memorata duplē imprimis respectum juxta nostrum considerandi modum; vel enim concernit internam civitatis cuiuslibet constitutionem, vel etiam externam securitatem. Priori respectu sumta, quum quælibet Natio eapropter in civitatem concesserit, ut tranquillitatem ac felicitatem, quam in statu Naturali frustra desiderabat, consequeretur, sua etiam conservationis debet esse studiosissima. Enimvero si exteri in civitatis constitutionem quo demum cunque modo influant, fieri profecto aliter nequit, quin omnia ita disponere contentur, ut maximum inde percipient commodum, parum omnino curantes, quænam fata rempublicam de cetero maneant, modo ipsi in turbido semper piscari queant. Quamobrem si ægre ferimus, dum quis extra familiam domesticis nostris sese temere immiscet negotiis, quanto magis erit cavendum, ne exteri talem in civitate consequantur auctoritatem, ut actionum publicarum prima quasi mobilia existant. Quam exitiosum hoc ipsi sit, vel suo exemplo nos docet Gracia, olim florentissima, quæ nostro ævo nulla fere est. Etenim dum quælibet

quælibet Respublica internam suam tuebatur independentiam, nec patiebatur, ut exteri sub amicitiae specie in partem administrationis publicæ venirent, factum est, ut singulæ domi felices fuerint, nec fori hostium numerosissimorum impetum reformidaverint. At postquam Persæ, missis legatis & ingentibus pecuniarum summis, in civitatum Græcarum administrationem influerent, ab independentiæ pristinæ gradu descivierunt, nec tam regebant, quam ab Oratoribus Persicis regebantur. Contra ea autem adfectata independentia ab aliorum populorum auxilio quoad securitatem externam multas civitates partim ad incitas rededit, partim penitus perdidit. Quemadmodum enim in civitate non magni æstimatorum homines, qui sibi solis vivunt; ita quoque in magna civitate, cuius membra sunt integræ nationes, ille populus, qui tantam virium superioritatem sibi vindicat, ut cum contemptu aliarum gentium sua his arbitria obtrudat, non sine dispendio animadvertisit, se calculos suos male subduxisse. Quæ, quæc, alia fuit ratio Politica, quare veteres Canaanæorum Monarchiæ funditus sint deletæ, quam quod singulæ, utcumque exiguae, crederent tamen, se sibi ipsis suffectoras, nec aliis salutem vel defensam vel promotam debere vellent? Nonne Respublica Genuenensis ob independentiam intempestive affectatam in præsentissimum incidens periculum, dudum concidisset, nisi ipsam, in suum exitium præcipitem, iterum iterumque sustinuissent Galliæ Reges? Aut quis nescit, quod Respublica Belgarum ob nimiam arrogantiam, quam post Pacem Aquisgranensem An. 1668. ostenderat, in tantum inciderit odium, ut universam fere Europam in se concitaverit.

## §. XV.

Nec illud reticendum arbitramur, quod nonnulli Ardelio-

Ardeliones crediderint, systemata civitatum ad felicitatem publicam plurimum conferre. Intelligent autem per systemata modo memorata plures una civitates, vinculo aliquo inter se connexas, ut unum corpus constituer videantur, quarum singulæ tamen sumnum in se imperium retinent. Qui magnificis rerum præstigiis se in transversum rapi patientur, multa heic inveniunt, quæ commendationem merentur. Crepant igitur, quod per talem unionem civitatum, dissidia, quæ ipsas quondam inter se committebant, sopiantur, quod unitis consiliis ac viribus suam tranquillitatem contra ingraevescentes quosvis hostium motus valide defendere queant: quod commercia invicem secure exerceant, connubiis & affinitatibus jungantur & coalitis paullatim animis in commune decus promovendum nitantur atque mollius invicem, quam alioquin extraneos sese tractent. Enimvero si rem penitus consideremus, animadvertisimus, quod incommoda heic occurrant, quæ talē civitatum copulam aleæ plenissimam reddant. Primo enim Rex diversorum regnorum negotiis distractus singulis rite expediendis nequaquam sufficit, præsertim si populi diversis legibus atque institutis utantur, & diversis moribus atque ingenio prædicti eodem modo tractari aspernentur. Aut igitur tumultuarie negotia conficiet, aut eadem certis Gubernatoribus committet, qui si provinciam sibi demandatam probe administrent, in Principis invidiam sèpe incidunt, qui civitatem, quæ ut appendix habetur, plerumque infirmiorem esse vult; si perverse munere fungantur, in subditorum merito incident odium. Deinde sèpe contingit, ut Rex in unum populum, quam in alterum sit prior, sive quod ex illo originem ducat, sive quod ingenio aut affectu peculari aut per similitudinem religionis eidem magis concilietur; quibus fit, ut

adamata Natio ubisque tam in aula, quam in muneribus publicis emineat; reliquæ autem partim negligantur, partim despiciantur. Adde, quod adjunctæ civitates per unionem memoratam sâpe talibus implicentur tricis, quæ ad ipsas nihil spectant, adeoque in præfens discrimen tanto magis vocentur, quanto ampliora quasi latera hostibus invadenda præbeant. Hæc ipsa incommoda nobis dictitat ratio, quod si præterea experientiam consulamus & vulnera, quæ cicatricem pridem obduxerunt, adspiciamus, reperimus, quod memorata civitatum unio magis ad disjungendos, quam ad conjungendos animos valeat. Ut enim alia reticeamus exempla, quis ignorat, quam infelix fuerit Patriæ nostræ status sub unione sic dicta Calmariensi. Svecis enim gravia imponebantur tributa, quæ per absentiam Regum & rigidas nimis Gubernatorum exactiones gravissima reddebantur, præsertim quum non regnum, sed Dania maximum inde senserit lucrum: Sveci longinquis & non necessariis implicabantur bellis & quod acerbissimum erat, ancipitibus maxime periculis temere objiciebantur, domi autem a Ministris Danorum despiciebantur: hinc discordiarum germina, quæ tamdiu fota, donec in lanienam Stockholmiensem erumperent. Sed transeamus tempora hæc turbulenta & properemus ad alia argumenta scopo nostro convenientia.

### §. XVI.

Quod ad alia attinet Gentium fœdera, quæ tamen coalitionem quandam civitatum non inferunt, observamus, quod quamvis singula boni publici caussa ineantur, attamen nisi probe caveatur, fieri possit, ut ipsa ad personatam felicitatem tandem vergant. Quum enim fœderum fundamentum sit utilitas publica, hujus autem ratio

tio pro temporum rerumque circumstantium indole variet, sequitur, quod foederum ratio ex his momentis saepe etiam mutetur. Quocirca scite omnino scribit Quidam ex recentioribus Politicis: *Si les Traités des Souverains étoient de la même nature, que les Contracts dans la Société, les termes manqueroient pour qualifier l'infraction de leurs articles. Mais il faut toujours en revenir au grand principe des Etats, que l'interet, qui ordonna le Traité, a le droit de l'annuler.* Enimvero quamvis haec suo Auctori defendenda relinquamus, existimamus tamen, quod si foedera cum exteris Nationibus inita non semper profint alterutri civitati, hoc partim tribuendum sit diversis illis, ut ita loquar, Principiis domesticis, quibus utraque regitur natio, partim etiam ipsi materiae, de qua fuit convenitum. Scilicet alia foedera pertinent ad tranquillitatem reipublicæ stabiendam, alia vero ad opulentiam utriusque, ceu prætenditur, promovendam. Quod si igitur Natio quædam ad altiorem continuo potentiae gradum adscendere nitatur, altera autem ambitioni ipsius præcipua objicere impedimenta præsumuntur, foedus inter has gentes non potest non in alterutrius detrimentum vergere; & quamvis illa se huic devotam profiteatur, hujusque affectus specimina quædam exhibeat, re tamen ipsa molitur, quomodo felicitatem ejus per cuniculos subvertat. Exemplum hujus rei nobis præbent foedera inter Anglos & Hollandos circa auspicia novæ Reipublicæ Belgarum inita. Indigebant enim Hollandi externæ alicujus Gentis subsidio ad constitutionem regiminis sui firmandam; vicini erant Britanni, potentiae maritimæ cum Belgis amuli, qui faciles his præbuerunt suppetias, clanculum autem Comiti Leicestriensi, DUDLEY, qui a Regina ELISABETHA Gubernator Hollandiæ fuit constitutus, in mandatis dederunt, ut Hollandos

redderet quam infirmissimos, si spes esset, quod hi dependentiae ab Anglis jugum aliquando excutere niterentur, nec permitteret iplorum potentiam nimis increasere. Quas technas ut animadverterunt Hollandi, potius ad Gallorum partes accesserunt, a quibus minus imminebat periculum; siquidem rationes Politicae his svalderent & integrum conservare rempublicam & commercia Hollandorum, quæ his curæ cordique maxime erant, non turbare. Denique quod ad materiam foederum attinet, probe erit dispiciendum, ne exteri nostra imprudentia ditescant, vel etjam sub quacumque utilitatis specie statui publico se ita ingerant, ut momenta felicitatis publicæ tandem disperdant; quorsum spectabant antiqua foedera tum inter Hollandos atque Anglos, tum etjam inter Svecos & civitatem Lubecensem, quibus nervi civitatum veluti incisi fuerunt.

### §. XVII.

Præterea quamvis civitas, quæ de insigni civium numero sibi gratulari potest, plura habeat & securitatis publicæ præsidia & felicitatis internæ gnaviter promovenda adminicula, quum etjam nihil tristius sit civitate, quæ raritate incolarum laboret; attamen fallit & falilitur, qui credit, felicitatem civitatis ex solo civium numero esse æstimandam; æque enim ineptum hoc est, ac si quis contenderet sanitatem & vigorem corporis animalis ex crasitie & obesitate ejusdem dependere. Sicut enim in antecedentibus ostendimus, felicitatem civilem triplici quasi cardine volvi, scilicet libertate, securitate & opulentia civium; ita quoque quum hæc momenta in civitate sufficienti incolarum numero instructa obtineri æque possint, ac in populosissimo imperio, sequitur, quod numerus civium in felicitate publica vel constituta

enda

enda vel promovenda utramque solus non faciat paginam. Svalente igitur ratione & comprobante etjā experientia requirimus, ut qualitas civium potissimum in censum veniat, qui si fuerint industrii, probi, concordes patriæque suæ amantissimi, exiguis nonnunquam manipulis & modicis redditibus id efficient, quod alii numerosissimis copiis & amplissimis stipendiis frustra tentabunt; id quod pluribus exemplis, ab Historiæ penu de promtis, tam antiquis quam recentioribus ostendit posset, si hanc dilucidationem necessariam judicemus. Absit autem a nobis, ut statueremus, incurios circa civium conservationem intra Patriæ fines esse debere Rectores civitatum; certe si felicitas perennabit, immitionem civium præcipue industriorum æque gravem esse judicabunt, ac si gravissimam Patria in ancipiiti prælio acceperit cladem. Qui enim aliter sentiunt, satis declarant, quod ex utilitate privata non publica imperium administrent.

Enimvero heic filum meditationum nostrarum qualiumcunque in medio quasi abrumpere cogimur, tam temporis, quam tenuis adhuc sortis Typographiæ rationem habituri; DEum prius, omnis veræ felicitatis fontem & Auctorem supplices rogantes, velit Patriæ nostræ clementer concedere, ut de intemerata felicitate ad consummationem usque sæculi sibi possit gratulari.

S. D. G.

